

8  
QUÆSTIO MEDICA  
EAQUE THERAPEUTICA  
PROPOSITA

Ab Illustrissimo viro D. D. PETRO RIDEUX

Regis Consiliario & Medico, nec-non in almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ Professore Regio dignissimo.

SUB HAC VERBORUM SERIE

*An Febris Malignis Emeticam.*

Quam Deo favore & auspice Dei-parâ propugnabit in Augustissimo  
Monspeliensi Apollinis Fano, Die \_\_\_\_\_ mensis Novembris  
anni 1710. ab horâ octavâ ad meridianam, STEPHANUS  
FOUQUET Genabicus Artium Liberalium Magister jamdudum  
Medicinæ Studiosus & Universitatis Consiliarius.

PRO PRIMA APOLLINARI LAUREA CONSEQUENDA.



MONSPELII,  
Apud HONORATUM PECH Regis, Universitatis, Cleri  
& Urbis Typographum.

---

M. DCC. X.



ILLUSTRISSIMO  
NOBILISSIMOQUE VIRO  
D. D.

JOANNI-BAPTISTÆ CAROLO  
DU TILLET

Equiti Marchioni De La Bussiere, Baroni De Pon-  
cheveron, D. d'Arabloy, Adon, Bois-Morand,  
les Choux, Nogent, Lamothe-Levaux, &c.

Regis à Consiliis  
Et in supremâ Pariensi Curiâ  
SENATORI INTEGERRIMO.

*Hoc primum Doctrinae Specimen & observantiae  
monumentum,*

D. V. C.

STEPHANUS FOUQUET Genabicus.

ILLUSTRISSIMO

NOBILISSIMOQUE VIRO

B. D.

DANNI BAPTISTE CAROLO

DU TILLET

Marchion de La Roche, Baron de Fontevron, de d'Atthey, Adon, Bois Morand, es Choux, Nogent, Lamoignon L'evaux, &c.

Regis Consilii

Et in supremis Consilii

SENATORI INTERIM.

Hoc primum Deditur scriptum & officium

D. V. C.

SEBASTIANUS FORTIS Gensilis.



# QUÆSTIO MEDICA

## *An Febris Malignis Emeticum.*



UM febres innumeros ferè morbos, quibus homines obnoxii sunt, præcedant, concomitentur, aut subsequantur, nullaque inter illas frequentiores edat strages, quam maligna, ut funesta anni nondùm peracti comprobavit experientia, in hanc præ cæteris me primo doctrinæ tentamine erudiendum judicavi. Quo autem rectius omnia procedant, Febris in genere & malignitatis ideas præfari juvat.

SIT itaque Febris præternaturalis sanguinis fermentatio cum pulsûs frequentia vitiosâ & permanente: Nec statuendum in omni Febre fermentationem prætermo- dum intendi, cum in Febris algidis, horrore & rigore Februm intermittentium remissior sit calor, quam in statu naturali. Sola pulsûs frequentia Febrem non arguit, alioquin biliosi, infantes & quam plurimæ mulieres optimâ valetudine fru- entes febricitarent; requiritur ergo vitiosa pulsûs frequentia, id est quæ ætati, sexui, aut temperamento naturali non competat: Etiam si apud Philosophos duratio ma- jor aut minor nihil faciat ad rei essentiam, affectus tamen fugaces & operâ Medici non indigentes, inter morbos à Practicis non recensentur, hinc ex ipsis vitiosa pul- sûs frequentia sine permanentiâ ad Febrem stabiliendam non sufficit.

FEBRUM malignitas juxta veteres, est ea qualitatis occultæ species, quâ Fe- brium causæ naturalem ac vitalem sanguinis constitutionem & consistentiam per- vertunt aut pervertere possunt, ad differentiam causarum aliarum Februm quæ ma- nifestis qualitatibus corpus humanum afficiunt & alterant: Recentiores vero om- nes qui naturæ phœnomena ad mechanicas materiæ affectiones se posse referre glo- riantur, contendunt Februm Malignitatem consistere in corpusculis Acidis, Acri- bus, vel utrisque, aut miasmatis figurâ mole & texturâ discrepantibus singulari- que heterogeneitate prædictis humoribus nostris & partibus solidis infectis.

VETERES ignorantiam suam qualitatibus oculis non occultabant, sed potius ( licet minùs ingenuè ) manifestabant: miasmata diversæ molis figuræ, & texturæ imaginationem quidem feriunt, intellectum autem veritatis avidum primâ fronte non satiant: acida & acria colliquationis & coagulationis opus absolvunt, sed tot patiuntur eorum patroni difficultates, ut nostrum assensum, saltem qua simpliciter

talia, non extorqueant; fatemur tamen à sanguinis deliquio aut nimia consistentia oriri symptomata gravissima, imò & ipsam mortem, ut liquet ex injectione liquorum acidis aut acris refertorum; sed ratione & experientia convicti absolute negamus Febres malignas & alios malignantis indolis affectus, ut rabiem caninam, luem veneream & alios bene multos qui passim genus humanum excruciant, simplicibus Acidis aut Alkalinis vitalem liquorem fundentibus aut inspissantibus natales suos debere, cum ex *H Y P P. lib. de vet. Med. homini insint amarum, salsum, dulce, acidum, acerbum, insipidum aliaque sexcenta*, quæ pro copia & viribus varias habent facultates. Quid nî variis modis humorum constitutionem & consistentiam permutare valeant absque Acidorum aut Alkalinorum interventu quidquid conclament Neoterici?

**A C C E D I T** prædictos morbos specificis (quorum virtus in certâ quâdam principiorum proportione & combinatione, non autem in acidis vel Alkalinis consistit) curari & eradicari si curationem admittant, Iisdem morbis obnoxios fore homines ac bruta, si acida aut Alkalia accusanda essent, cum eadem Acida & Alkalia hominum & brutorum sanguinem ex æquo dissolvant aut coagulent, ut docet experientia.

**C H Y M I C O S** nulla hætenus acida aut alkalia invenisse, quibus ad libitum Febrem accersere aut arcere possint.

**A C R I A** non in elementares, sed in integrantes, causam vero malignam in partes essentielles discescere; cum igitur adeo insignis resolutio non fiat in singulis febribus putridis, non mirum si malignitatis non sint perpetuo participes, quod etiam ex alio capite (ut infra observare erit) deduci potest.

**C U M** qualitates occultæ jam pridem obsoleverint & à Lycæo Monspeliensi exulaverint, ne exilio aut pœnâ aliquâ gravi mulctemur, etsi Neoterici mechanismo superbientes ad alios ignorantia portus impune confugiant; inviti tamen cogimur ad illas deferendas & abdicandas, imò & aliquibus ratiunculis aut rationis umbellis offuscandas & supprimendas, sit omnium instar illa, qualitates istæ sunt penetrabiles, ergo nec agere, nec pati, seu movere, aut moveri, nec quidpiam alterare, generare aut destruere ullatenus possunt, sicut nec aliæ qualitates manifestæ, si pro entitatibus à materiâ distinctis sumantur.

**Q U A L I T A T E S** omni agendi vi destitutæ non arrident, nec acida aut alkalia, qua præcise talia, palato prorsus sapiunt. An ad sola corpuscula figurâ texturâ & magnitudine disparia recurrendum? Ita quidem comprehensis sub illis Salibus. Ratio suadet acida & alkalia, non ut præcise talia, simul fermentescere, quando quidem in Tartaro Vitriolato illibatâ formâ persistant sine tumultu, aurum, argentum aliaque metalla & menstrua quibus dissolvuntur, integram naturam retineant absque ullâ discordia.

**M A N E A T** igitur inconcussum acida & alkalina inter se, aliaque corpora quæ à Chymicis ad doctrinæ conformitatem alkaliformia nuncupantur, cum acidis aut acido falsis fermentationis luctam inire ratione totius contextus, pororum, molis & figuræ, proportionis & disproportionis, quibus fit ut materiæ subtili (cujus conatibus plerique aspectabilis hujus mundi effectus hisce temporibus tribuuntur) facilis ingressus, difficilis vero progressus & exitus concedatur. Quid repugnat innumera alia præter Salia aut saliformia tales proportiones & disproportion-

nes inter se nancisci? Imò verisimile est ipsa salia quæ ad paucas classes à Philosophis per ignem reducuntur, indefinitis modis & proprietatibus differre.

**N U N C** ubinam locorum laudata corpora gignantur investigemus: in vasis vel extra vasa gigni autumamus; in vasis retentis variis recrementis & excrementis, concurentibus rebus non naturalibus, quotidie fiunt peculiares fermentationes quæ collimant ad peculiares terminos, inter quos salia venenata, alia-ve corpuscula maligna annumerari possunt.

**N I H I L** impedit quominus in primis viis alimentorum putrescentium, vel fermentorum, vel utrorumque vitis generentur, indeque ad sanguinem transmittantur, vel ibi quoad prima tantum rudimenta delincentur, hîc vero ulteriori fermentatione ultimum malignitatis complementum consequantur.

**S I Q U I S** asseveret diversas atomos in patuli aëris conceptaculis sibi invicem occurrentes in seminium malignum concrefcere, & cœlestium corporum influxus ad ejus genesim conferre, ipsius sententiæ non refragabimur: illud ab aëre viâ breviori per pulmones, vel longiori per primarum viarum ambages ad cruorem traduci potest, inquinatâ prius salivâ aliisque recrementis.

**P R Æ S T O** sunt in terræ visceribus admirandi fermentationis furni, in quibus ex confluentibus undique affatim heterogeneis atomis affabrè excudi possit, unde succo plantarum nutritio, vel aëri communicetur, & necessario horum usu, sanguinem aliosque humores tandem contaminet.

Ex singulari etiam vegetabilium aut animalium corruptione & putredine nonnunquam exoritur, cum scilicet putrescentium principia, vel partes ex illis conflatae abeunt in liquamina, quæ nec resolvuntur, nec dissipantur quousque fermentationis & moræ beneficio maligna corpuscula sobolescant.

**I N** Febribus ardentibus, in quibus necesse est plurimas partes fluidas & non-nulas solidas in sua elementa resolvi, non formantur corpuscula maligna, quoniam particulae secretæ vehementiori caloris motu per inhiantia corporis spiracula prius discutuntur, quam malignam induant formam; quod transferatur ad febres putridas, si quæ aliquando fiat in illis in partes essentielles resolutio citrà malignitatis notam; id confirmatur febribus malignis quæ superveniunt magnis cladibus, acervatim sepultis cadaveribus & leviter terrâ coopertis, ubi aër est calidus, humidus & tranquillus, non autem siccus, apricus & ventis perflatus.

Ex dictis colligere est, cur in febribus lentis & hecticis non pullulent seminia maligna, cur corpora cacochymica & plethorica ob vitium imbecillitatem & fermentationis capistra, præ aliis febribus malignis sint obnoxia.

**Q U A** de causâ corpusculis ex specubus, stagnis, aliis-ve locis putrefactionis motibus agitatis, erumpentibus, interdum sæviant, interdum nullatenus grassentur Febres malignæ.

**Q U A M** ob rem pauperes & milites, qui in castris, urbibus obsessis, & regionibus devastatis, frugibus immaturis, alimentis putridis & inassuetis pascuntur, Febribus malignis corripuntur, dum divites & magnates qui opiparè vivunt ab earum insultibus immunes conservantur.

**L I Q U E T** miasmata maligna, quæ fiunt in nobis independenter ab aliis, non esse quandoquæ Febbris causam, sed ipsius effectum, cum plerumque nascantur ex

malignâ humorum putredine quæ febrilem fermentationem sequitur, aliis tamen ad quos quocumque modo propagentur Febres malignas accersere potis sunt.

**N E C** acquiescendum eorum opinioni, qui nescio quâ frontè sustinent Febres malignas, pestilentes & pestem ipsam non esse contagiosas, etsi menstrua varia variis corporibus suas affectiones & proprietates impertiant, & canis rabidi venenum se morfu, vel alio quovis modo animalibus communicatum multiplicet, & multiplicatum aliorum humores sub formâ contagii labefactet. Quid simile in corporibus Febribus malignis & ipsâ peste laborantibus, contingere nihil vetat? Nec ad hoc opus est communicatione causæ morbi primigenii; sed effectus qui ratione aliorum morborum congenerum, habeat rationem causæ.

**F R U S T R A** quis obtrudet effectum qui tribuitur tali causæ, seu effectui non esse ipsi proportionatum, id ratione probatum, non gratis suppositum vellem. Esto causa sit generalis & epidemica, id ne probat morbum non posse esse contagiosum, aut pluribus causis simul conspirantibus non esse propagandum?

**I N** mixtionis opere, variæ sunt principiorum proportiones, alterationes, & combinationes, hinc corpuscula maligna diversæ indolis diversis temporibus exoriuntur, ex quorum diversitate febrium malignarum diversa symptomata depromenda censemus, & profecto nisi illa elementorum proportione & positurâ, propriâ figurâ & magnitudine discreparent, Febres Malignæ diversis symptomatis stipatæ, quales sunt petechiales, variolosæ, morbillosæ, pestilentes &c. seorsim non invaderent, sed simul ingruerent.

**Q U O N I A M** igitur salia quæ ad corpusculorum malignorum classem reduximus, mechanicis tantummodo affectionibus, non secus ac reliqua, suas tum in sanguinis dissolutione, tum ejusdem coagulatione partes agunt, & verisimile est plures illorum species ipsorum-que agendi modum nos prorsus latere, non solum superfluum, sed etiam temerarium duximus determinare quænam ex illis ad singula Febrium Malignarum phænomena exponenda magis accommodata videantur: neque nos angit coagulationis aut dissolutionis opus, cum nulla fiat in liquoribus heterogeneis mutatio, quæ ad majorem aut minorem eorumdem consistentiam non tendat. Nunc ad symptomata nos accingamus.

**D I S S O L U T O** sanguine, spiritus & copula explosiva parcius generantur, & plus æquo dilvantur, proindeque vegetæ fermentationis motui suscipiendo, & validis musculorum contractionibus (in quibus corporis robur consistit) perficiendis imparia fiunt, hinc virium prostratio, ad quam fibrarum muscularium flacciditas laudatorum fluidorum & sanguinis vitio contracta, symbolum confert.

**P O S I T A** penuriâ & inertâ fluidi cordis motivi à sanguine suggesti, ventriculus dexter modicam motus quantitatem tribuit sanguini labyrentheos pulmonum anfractus peragranti, hinc illorum parenchymati causis superius allatis flaccescenti, tantilli sui motus multum communicat, unde interrumpitur saltem ex parte ipsius com meatus ad ventriculum sinistram, cui deficiente cruore & momento ad superandam vim elasticam quâ renititur sui systoli, sequitur syncope, quæ perseverat quousque redintegretur sanguinis per pulmones circuitus, & suppeditetur principis machinæ Fibræ fluidum majoris energiæ.

**S A N G U I N E** in pulmonibus aggesto, angustantur vesiculæ pneumaticæ, dene-

gato aëris in illas aditu, difficulter thorax attollitur, & ægre spiritus ducitur.

**I M M I N U T O** protrusionis motu, & partibus tono destitutis, in medio sanguine fiunt grumi, qui appellenti obices ponunt, ille coarcervatus vasa capillaria distendit & rumpit, si ruptio introrsum fiat, inflammationes, sin autem, Hæmorrhagiæ duntaxat superveniunt.

**R E L A X A T A** cruoris compage, non est conceptu difficile quo pacto ipsius globuli attriti nutritio corporis mucosi succo, recrementis & excrementis, hisque novi humores in sanguine geniti, confundantur, & ob particularum analogiam, cedente glandularum contextu, unà cum illis egerantur ex quibus exanthemata, excretiones sanguinolentæ, aliæque evacuationes copiosæ suboriantur.

**S A N G U I S** debili cordis ictu per flaccida cerebri vasa propulsus, contractâ morâ ea expandit, repellitque spiritus versus emporium, pro quorum indole & fibrarum sensilium tono, gravativus aut nullus emergit in animâ dolor.

**Q U O D** si cerebri acini glandulosi, aut vasa excretiora collectis humoribus adeo comprimantur, ut prætermodum imminuatur secretio spirituum; vel hi illis emollitis serum affatim secum proripiant, aut aliunde villi sensuum exercitio destinati, seroso latice, magis quam par est, irrigentur, æger in Lethargum aut soporem incidet.

**O B R U T I S** spiritibus & fibris letheis undis, absit omnis delirii suspicio, etsi ob particulas heterogeneas, ipsis à sanguine intra alveolos contento aut extra illos effuso, suggestas, variæ excitentur ideæ parum inter se cohærentes, quando quidem ad delirium prætereà desiderentur hæc imaginationes vividæ anomalæ, quibus objecta absentia tanquam præsentia exhibeantur, quæ in morbis colliquativis circa initium duntaxat, non autem in progressu locum habere possunt.

**P U L S U S** est mollis ob minorem sanguinis consistentiam, lenem protrusionis & expansionis motum, & arteriæ mollitiem.

**D E L I Q U E S C E N T E**, sanguine ad statum fusionis perducuntur partes salinæ, sulphuræ, imo & terrestres quamdam fluxilitatem adipiscuntur, hinc passim lotio permiscuntur, illudque turbidum evadit.

**H Æ M O R R H A G I Æ** vix cohibentur, quia difficulter consolidantur vulnera ob sanguinis divisionem, ipsius & lymphæ acrimoniam, naturalisque balsami defectum, hinc liquet cur sanguis effusus difficulter concreseat. Jam ad symptomatum, à sanguinis coagulatione, explicationem progrediamur.

**O B** spirituum & copulæ explosivæ paucitatem & inertiam, nec non musculorum flacciditatem, prosternuntur vires, paucitatem referimus ad parciores illorum genesim & evolutionem; inertiam, ad seri, quo inundantur, copiam, concrecente sanguine; ad spirituum penuriam confert incerniculorum aut vasorum excretoriorum obstructio, vel compressio: obstruuntur materiis viscidis sulphureis, quas spiritus sibi socias adsciscunt, comprimuntur sanguine effuso vel stagnante & vasa dilatante, flaccescunt musculi sero expedito.

**G R A V I O R** capitis aliarumque partium dolor à sanguine effuso, aut in vasis commorante, fermentescente & spiritus versus emporium repellente, provenit.

**R E S P I R A N D I** difficultatem à difficili aëris in vesiculas pulmonares ingressu, difficilem ingressum ab earum angustia, angustiam à cruoris stagnatione, stagnationem à sanguinis crassitie & pulmonum laxitate, hanc demum à spirituosi laticis,

copulæ explosivæ, & massæ sanguinæ vitiis deducimus.

**DELIRIUM** à partibus heterogeneis, quæ cum spiritibus ad fibras emporii factis tensas per consuetos tramites proripiuntur, vel aliunde ipsis suggeruntur, putà à partibus inflammatione correptis.

**INFLAMMATIO** fit à sanguine extravasato & excandescente ruptis vasis, rumpuntur vasa sanguine congesto, congeritur autem positis repagulis, causam hæmorrhagiæ non est cur prolixius inquiramus.

A vitio spirituum, Fibrarum sensuum muniis inservientium Lethargus & sopor, qui hunc affectum non raro concomitantur, repetendi.

**URINÆ** sunt limpida & tenues, eo quod sanguine inspissato, modica partium Salinarum, Terrestrium & Sulphurearum quantitas fluxilitate gaudeat, & unà cum sero per glandulas renales secernatur.

**VOMITUS**, nausea, cardialgia & singultus ab humoribus nerveas stomachi Fibras irritantibus dependent: vomitus fit dum fortiter repelluntur spiritus ad emporium, & hospitantes in illo copiosè determinant versus orificia nervorum contractioni Fibrarum ventriculi, diaphragmatis & musculorum abdominis prospicientium, unde necesse est contenta per orificium superius, vel per pylorum eliminari, ast cum spiritus uberius, quam pro solito, influant in orificium inferius, ejus Fibræ sunt magis compactæ, illud difficilior cedit, quam superius, ejus Fibræ sunt pauciores & minus firmæ: addunt non-nulli lobum Spigellii exterius accumbere pyloro, & impedire comitatum alimentorum in duodenum.

**NAUSEA**, dum refluxus & influxus sunt minores, quam ut vomitus excitari possit.

**CARDIALGIA**, dum irritatio adeo vehemens est, ut inde sequantur refluxus vehementes, quibus commotis cerebri fibræ, sequuntur dolores atrocissimi, sed non vomitus, ex eo quod longè latèque exagitetur emporium, & spiritus in omnes partes, quasi æqualiter, distribuantur; quod si refluxus non adeo sit vehemens, & non feratur ultra angulum reflexionis in orificia nervorum pulmonarium, tùm spiritus cerebri incolæ affatim in pulmones influunt, eorumque Fibras contrahunt, unde præpedito sanguinis circuitu, sequitur syncope.

**ADEST** denique singultus, dum spiritus reflui ad cerebrum promovent influxum in nervos phrenicos, expiratione nondum in totum peractâ, unde subita fit inspiratio & collisio aëris ingredientis & erumpentis, qui impingendo in tracheam aliasque partes strepitum edit.

**DIARRHÆA** pendet à quantitate humorum qui secernuntur per glandulas intestinales, quorum moleculæ laceffunt fibras nerveas, unde refluxus & influxus in orbiculares & longitudinales Intestinorum & musculorum abdominis villos, quibus contractis, sequitur contentorum per podicem ejectio.

**EMERGUNT** Carbunculi ex eo quod miasmata quædam caustica unà cum corpore mucoso sequestrentur, quæ partes solidas exurunt & erodunt, & fermentescendo cum dicto corpore mucoso vesiculas producunt, mutato ordine pororum sequitur gangræna & mortificatio.

**HYDROPHOBIA** seu aquarum aversione aliquando corripuntur ægri, ut observarunt authores, & nuperrime comperiit in nosocomio Genabensi **D. CHAZERAY** *Vir eruditione clarus & fide dignissimus*; hujusce symptomatis causam arbitramur esse corpuscula

corpufcula corroſiva majoris molis , quæ mediante ſeroſo latice diſſoluta , altius ad organa tactûs penetrant , & fortiter irritando , vehementes ſpirituum refluxus promovent , unde Fibrarum ſenſibilium commotiones aut vibrationes violentæ , ad quas juxta leges à ſapientiſſimo Opifice ſancitas , emergit in animâ dolor maximus , unde factâ ſemel experienciâ , ægri in poſterum ab aquæ potu abhorrent , imo ad ipſius nomen , ſonitum , aut aſpectum contremiſcunt & torquentur , quia ab illâ timent , illamque referunt ad os & ventriculum , unde uberior ſalivæ & fermenti ſtomachalis ſecretio ſpiritibus affatim ad illas partes influentibus.

**P A R O T I D E S** intumeſcunt , & bubones naſcuntur in axillis inguinibuſve propter lymphæ craſſitiem , quâ fit , ut in glandulis prædictarum partium moras trahat , majori quantitate congeratur , eaſque in tumores elevet , comprimantur vaſa ſanguifera vicina , quibus compreſſis , præpedito ſanguinis circuitu , incrementum ſuſcipiant.

**H I S** ita prælibatis ad febris malignæ notitiam accedamus , quæ merito definitur ea februm ſpecies , in quâ cum levi caloris exceſſu , leviſque pulſûs & urinæ à ſtatu naturali reſeſſu , graviffima urgent Symptomata.

**D E N O M I N A T I O** non deſumitur ( ut volunt nonnulli ) à ſimplici Symptomatum magnitudine & periculo , ſed tantum à modo quo invadit , afficit , & terminatur febris ; quemadmodum enim , qui aperto Marte hoſtem adoritur , malignus ille non cenſetur , ſed qui ex inſidiis in ipſum erumpit , ſic febris non habetur maligna quæ prælatiſ & manifeſtis ſignis invadit , ſed quæ benignæ ſpeciem præ ſe ferens , quaſi abditis viribus perniciem intentat.

**L E V I S** eſt caloris exceſſus propter leve fermentationis incrementum. Pulſus eſt frequens ob frequentes cordis contractiones , frequenter cor contrahitur ob minorem fluidi cordis motivi energiam & inhabilitatem ad contractiones in totum exerendas , unde cito reſtituitur ad priſtinam dilatationem ; parvus ob parvam ſanguinis quantitatem è thalamo cordis ſiniſtro ſingulis vicibus expulſi. Expellitur modica quantitas propter inertiam laudati fluidi.

**I N Æ Q U A L I T A S** pulſûs , quæ non raro contingit , provenit ab inæqualitate fluidi cordis motivi ob inæqualem ſanguinis conſiſtentiam.

**F E B R I S** maligna ex definitione ſatis ſuperque innoteſcit. Decernitur ſanguinis diſſolutio pulſu molli , calore acri , difficilibus hemorrhagarum ſuppreſſione , vaſorum conſolidatione , cruoris effuſi concretione , maculis rubris in cute effloreſcentibus & brevi evaneſcentibus , dolore capitis gravativo , defectu rigoris & frigoris ineunte Febre , ſiti moleſtâ ſaltem in ejus progreſſu , linguæ mollitie , demum abſentiâ eorum quæ oppoſitam ſanguinis conſtitutionem confirmant : coagulationem vero indicant pulſus durus , calor humidus , urinæ limpida , cruſta nigra & livida linguam obducens , emiſſi ſanguinis concretio , facilis vaſorum coalitus , parotides , bubones , carbunculi , juvantia tandem & lædentia.

**F E B R E S** omnes malignæ periculum portendunt , magis vel minus pro ratione malignitatis , vehementiâ & multitudine ſymptomatum ; nec viribus , ætati & temperamento antea apprime notis fidendum , imo nec ſignis negativis aut poſitivis , cum experientia doceat ægros interdum abſque ullo instantis interitûs ſymptomate è medio tolli , cum evidentibus è contra proxime imminentis iudiciis evadere : maculæ rubræ apparentes & ſtatim conſpectum fugientes , excretiones ſanguinolentæ per

diversa cola , syncope , lethargus , singultus ab orificii superioris ventriculi inflammatione , aut materiis fermentescentibus oriundus , sudores immodici , quorum pleraque insignem humorum colliquationem arguunt , quid nisi funestum prælagire possunt. Delirium , sopor , lipothymix frequentes , singultus à causâ superius allatâ , hepatis , aut pulmonum inflammatione , vomitus crebri , cardialgiæ , parotides , carbunculi , quorum magna pars humorum coagulationem sibi in causam vindicat , letho viam calcandam plerumque significant ; bubones , carbunculi & parotides , quæ sub finem morbi suboriuntur , non sunt signa semper lethalia.

**N** O N ab instituto nostro alienum videtur , non nulla de præservatione à Febris malignis prius proponere , quam earundem curationem suscipiamus.

**P** R Æ C A U T I O omnium tutissima est , quantocius loca infecta deserere , sana petere , & seriùs ad illa redire. Si rerum circumstantiæ postulent , ut quis loca infecta frequentet , sobrietas , animi fortitudo , & tranquillitas sunt præcautio optima , siquidem sobrietas præpedit genesim magni proventus sanguinis & crudorum humorum , quibus naturalis sanguinis effervescentia adeo imminuuntur , ut corpuscula maligna unâ cum aëre inspirata nequeant subigi , alterari aut foras expelli , proindeque malignam fermentationem suscitent ; tranquillitate & animi fortitudine vegetior fit spirituosus laticis in corpus universum influxus , intenditur fermentatio , infringitur corpusculorum malignorum vis , nova connubia ineunt , vel penitus è corpore eliminantur ; metus autem & tristitia spiritus in cerebro retinent , unde in constitutione aëris epidemicâ meticulosi & tristes febribus malignis magis obnoxii sunt , quam fortes animo & hilares.

**Q** U A M V I S alimenta assueta non adeo laudabilia sint , ac inassueta , in illorum tamen usu persistendum propter majorem quam habent cum fermentis proportionem. Quod si tranquillitas & animi fortitudo non præservent ab aëris infectione , moderatus alexipharmacorum usus , qui fermenta nec debilitet , nec pervertat , apprime convenit : inter hæc Theriacam valde proficuum docuit experientia ( etiamsi nonnulli ejus usum condemnent ) vel in regionibus calidioribus , quippe dissipatis volatilibus massæ sanguineæ partibus , opus est potenti aliquo pharmaco ad spiritus à crassioribus superstitionibus proliciendos. Diascordium **F** R A C A S T O R I I cum modicâ vini generosi quantitate usurpetur , hoc enim ventriculi fermentum corrigit , spiritus suppeditat , corpus enutrit , & vires conservat.

**I** N Curatione animus sit liber à præjudicio hypotheseon , quæ varias suscitant indicationes , quæ remedia hypothetica insinuant.

**Q** U I febrium malignarum causam in miasmatis coagulantibus constituunt , illi diluentia , attenuantia , incidentia & sudorifica commendant ; qui vero miasmata dissolventia pro causâ admittunt , inerasantia & temperantia laudant : ast cum sanguis sit inæqualiter coagulatus & divisus , quantum à verâ curandi methodo aberrent , nemo non videt.

**D** I Æ T A igitur tenui jusculis nempe ex carne gallinarum , caponum , pullorum agnorum , vervecis , vitulorum &c. confectis , & ptylannâ convenienti institutis , curatio ab evacuantibus auspicianda , ubi quædam cacochymix , primarum viarum infarctus , aut vasorum plenitudinis signa adsunt : evacuationis utilitatem probant evacuationes criticæ salutares ; injecto igitur clystere refrigerante , emol-

liente & purgante ; quo parcius effluvia à primis viis , depletis subinde vasis , suppeditentur, & contentos in illis humores minus inquinant , utque sanguis immunditias suas in illas cloacas deponat , vena tundatur paucioribus aut pluribus vicibus pro ratione necessitatis , eâ enim præcaventur aut tolluntur inflammationes aliaque urgentia vel imminetia gravia symptomata, & tutius exhibentur Emetica, Cathartica, aut Emetico-Cathartica. Emetica suadent inappetentia , cibi fastidium , nausea , vomitus , cardialgia , ingluvies aliaque id genus , ex HYPP. *excernenda materia peccans per loca convenientia ducenda est* ; borborigmi , abdominis intumescencia sine signis inflammationis , vermes , dejectiones crebræ per anum Cathartica indicant , utraque Cathartico-Emetica insinuant : nec pertimescedum ab evacuantium actione , illâ enim finitâ , qui superest tumultus , plus prodest , quam nocet , eò quippe magis ventilatur & depuratur sanguis. Si pravi , crudi & tenaces humores non redundant in Ventriculo & Intestinis , sufficiunt purgantia per Epicrasim. Expurgatis primis viis , si opus est , maxime conducunt Alexipharmaca , nec prius cum eorum robur illarum saburrâ infringeretur , vel vitiatos humores nondum subactos & alteratos disponderet ad se facilius cruori commiscendos , eumque magis contaminandum : verum cum primæ viæ iterum atque iterum infarciri soleant recrementis à sanguine secretis , humoribus crudis ac pravis à primæ digestionis vitio subortis , & corpusculis ab aëre aut alimentis suppeditatis , leves aliquæ purgationes identidem instituendæ , ne vel illa sanguini commisceantur , vel lethalem alvi fluxum promoveant eo tempore , quo natura accingitur ad corpusculorum malignorum & partium sanguinis infectarum per glandulas miliares excretionem. SYDENHAMIUS eximius practicus observavit omnes Febre Malignâ correptos , quibus ipsius principio vel decursu Emeticum non fuit exhibitum periisse , omnes econtrâ quibus propinatum fuit incolumes factos fuisse : si sudor impar sanguini depurando & auferendæ Febri emanet , sudorificis , quibus adjungantur Laudanum & Theriaca , major provocandus , Laudanum particulis suis Alkalinis initio juvat dissolutionem , & sulphureis spirituum motum compescit , quo facto uberius erumpit sudor miasmatis malignis onustus , & cardiaca vires conservant ad copiosas sudoris evacuationes alacrius perferendas.

PROFESSORES Monspelienses hanc praxim Febribus Malignis hoc anno grassantibus salutarem experti sunt & usum Emetici , ita ut paucissimi , quibus rempestive & præmissis præmittendis exhibitum fuit , cæteris non neglectis , Febri succubuerint. Tot illustrium virorum autoritate suffultus jure concludo.

*ERGO Febribus Malignis Emeticum.*

